



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testibus. Consilium CXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

Appellatus se videret in extremo periculo ex accessione tertiæ conformis. Cur enim idem non fecit in prima, in qua hunc Ioannem super alijs factis produxit, & produciendo eatenus ejus perlonam comprobavit. *l. Si quis testibus C. de testibus* quare non in secunda? cur rursus subrependo, & obrependo Concilio Brabantie curavit hunc Ioannem iterum super contrarijs factis, post publicationem omnium testimoniorum, non vocato Appellante, nec ejus vero procuratore, valetudinarie examinari auctoritate judicis competentis, & qui de causa cognoscere non poterat, cum deberet ordinaria viâ, & coram Iudice, quem ipse ex delegatione Apostolica impetraverat, id facere? Examinatio enim illa coram commissario Cancellarie facta est 22. Octobris; quando tertia ejusdem Octobris ab Abbate S. Michaelis post rescriptum appellatorium exhibitum, Appellatus jobtinuisset 8 literas citatorias: * cum jus non patiatur vel valetudinarie, vel ad futuram rei memoriam testes recipi & examinari, nisi à iudice suo; hoc est, ab eo qui in causa principali, si movetur Iudex futurus est, *Bart. & alij in l. Societatem §. arbitrorum Pro socio Doct. in c. Significavit de testib.* nec id quidem simpliciter, sed præcedente Iudicis decreto gloss. *In l. Aquilia si delictum & ibi Bartol. ad leg. Aquil. Mart. Socin. Nepos cons. 86. Disputatur in presenti nu. 14. vol. 2.* & interveniente partis adversæ citatione, *Doct. in c. fin. Ut hinc non contest. & in Auth. Sed etsi quis c. De testib.* quam citationis necessitatem ipsa commissio Cancellarie aperte & pro fama adiecit. Arguent nimirum hæc insidiantis malitiosæque machinantis animum studium, & extremum conatum subornandi dictum Ioannem hominem quamvis in principio litis bonum & ad testificandum in genere idoneum; in ea tamen qualitate & conditionis tenuitate constitutum, qui facile corrumpi, & à veri tramite abduci possit; cum sit tantum equorum tractor & venditor. Ita ut, quod superius dictum est de facilius retinenda veritate prioris depositionis adversus posteriorem contrariam ex tam idonea qualitate testis in superlativo gradu, planè hic obtinere debeat.

Omnibus itaque in unum coactis, quæ partim hæc, partim & fufius in præcedentibus doctissimorum primariorumque virorum consilijs deducta sunt; habitâ quoque illius ratione, quod appellatio à securâ sententia pro Actrice lata planè fuerit deserta ex omiffa petitione apostolorum *c. 1. de appell. lib. 6.* non obstante restitutione integri adversus eam omiffionem; cum restitutio tantum concessa sit ad petendum apostolos, quod post obtentam restitutionem appellatos fecisse non invenitur: existimamus venerabilis D. Decani officium in eo nunc versari, ut duas illas conformes sententias secundum Actricem nunc appellantem à viris omni suspitione maioribus, adhibitis assessoribus Theologis & Iurisperitis plurimis latas, confirmet; revocatâ sententia D. Decani Aloftensis tertiæ instantiæ iudicis.

De Testibus.

S V M M A R I V M.

Testis an uxor contra maritum esse possit.

1. Domesticum testimonium improbat.
2. Vxor est in perpetuo mariti metu.
3. Vxor an contra maritum cogatur testimonium dicere si aliunde veritas probari non potest.
4. Vxor in criminali contra maritum nunquam cogitur testificari.
5. *L. Lege Julia de testibus intellectus.*

CONSILIUM CXI.

MAGNIFICÆ D. Rector, iussu reculat Elizabetha van Dort, vxor Agidij Wavens huius causæ Rei dicere testimonium in hac causa adversus dictum Agidium suum maritum: † est enim non tantum domestica suo viro, ratione cuius iure civili improbat testimonij fides, *l. etiam C. de testib.* sed etiam viro coniunctissima, & cum eo velut una caro c. *Hac imago XXXIII. q. 5. c. 1. De coniug. leprof.* ob quam causam invita in maritum testimonium dicere non cogitur. *gl. & DD. in d. l. etiam Canonista in c. In literis de testib.* quæ etiam coniunctio cum maritali reverentia vxorem obnoxiam faciat, possitque ex eius testimonio bene concordans matrimonium turbari, non est ei imponenda huiusmodi necessitas arg. *l. Cum te filia c. De inoff. testam. l. reprehendenda C. De instit. & substit.* * nam & ab innocentia in c. Perlatum De his qua vi met. caus. vxor dicitur esse in perpetuo metu viri: sic ut communij opinionem receptum sit, vxorem nec pro viro, nec contra eum admitti, aut ad dicendum testimonium cogi, *Mart. Socin. cons. 17. Supradicta nu. 11. vol. 1. Specul. in tit. De testib. §. de testium compulsionem vers. sed numquid vxor †* Et quamvis communiter tradatur, compelli posse vxorem, ut adversus maritum dicat testimonium, si aliunde veritas probari non potest, & probationis inopia Actorem urget, *Panorm. in d. c. In literis in fin. & Spec. loco supra citato.* id tamen non puto indiscretè procedere, sed tantum obtinere in causa civili.

At in criminali causa existimo nullâ ratione eam compelli posse; cum lege expressim sit cautum, ne adversus socerum, generum, vitricum, & similes personas invitus quis dicat testimonium, *l. Lege Julia De testib.* * Vnde manifestè colligi potest multò minus vxorem compellendam esse, ut adversus maritum testificetur; cum ei maior sit reverentia atque arctior coniunctio. Quam quidem sententiam Accursius, in d. l. *Lege Julia*, producit etiam ad quascumque civiles causas; quem in eo probat Bartholus in d. l. *Lege Julia*. Cum ergo ex conclusione libelli, quem Actor edidit, constet criminaliter agi injuriarum, non civiliter, nulla est causa, cur possit compelli vxor; præsertim nullâ adhuc inopia probationis allegatâ aut singulari aliqua ratione propositâ, cur contra communem regulam compelli debeat; & ex adverso ex magno numero testimonij citatorum Actor inopia non videatur premi.

De Testibus.

S V M M A R I V M.

Testium productio post publicationem.

1. Testibus publicatis in causa matrimonij alij adhuc produci possunt.
2. Sententia matrimonialis non transiit in causam iudicari.